

GELDERVS SAXONIAE REX.



**G**elderus ob magnas corporis & animi uirtutis Saxonum rex electus fuit, anno mundi termillesimo trecentesimo uicesimo. Is classem armis uirisque instructissimam per totum Gothicum sinum circumferebat, nec solum Cimbros & Danos, sed etiam Pomeranos, Vandalos, Rugianos, Curetes, & Esteones uastabat. Cum autem eo tempore Hotherus Sueonum rex cum Baldero mago ob Nannae puellae desiderium bello deceraret, Balderus uiribus inferior Gelderum in bellis societatem eloquetti oratione pertraxit. Tanta enim uirtutis opinione Balderus pollebat, ut plerisque deus uideretur. Itaque in Cymbrico Chersoneso

concurrentes, nauali prælio Hotherus uictor extitit. Ibi Balderus timore percitus cum suis aufugit, atque loco pugnae Belliport nomen reliquit. Saxones autem in prælio fortiter perseverarunt, donec omnes cum rege Geldero occubuerint. Itaque hostes huius regis uirtutem admirati, eum magna pompa, atque in usitatis regum ceremonijs, rogo impositum, pro more gentis concremarunt. Cinerem uero in urnis conclusum honorifice conservarunt. Alb. Crantz.lib.4. Sax. cap.5.